

patribus, quod attinet ad adventum suum in carne, (unde *Desideratus cunctis gentibus, desiderium collium veterum, expectatio gentium, etc.* dictus est) ita a nobis etiam desiderari vult, ut per suam gratiam ad nos veniat. Siquidem tale desiderium dispositio est ad hunc adventum. Hujus rei admonet nos Ecclesia, cum per octiduum præcedens Nativitatem, toties replicat illud O; (O sapientia veni ad docendum nos viam prudentiæ. O Adonai, veni ad redimendum nos. O radix Jesse, veni ad liberandum nos. O clavis David, veni et educ vincitum. O oriens veni et illumina sedentes in tenebris. O Rex gentium. O Emmanuel, veni, etc.) et vota, quibus expetit Christi adventum. Imprimis vero desiderare nunc deberent fideles Christum in Eucharistia ad se venturum, nam qui vere amant, amati ipsius præsentia gaudent, eumque desiderant: huc ergo intendere omnes nostras vires debemus, si magno cum fructu Christi adventu frui volumus, ut videlicet cum magna fame ipsum appetamus; siquidem *Esurientes implevit bonis*, ait ejus Mater sanctissima. Cogitemus, fratres, hospitalitatis magnitudinem, dignitatem, suavitatem, pulchritudinem, divitias: cogitemus et nostram indigentiam atque infirmitatem. Quantopere olim SS. Patres adventum ejus desiderabant? Nonne *Abraham exultavit ut videret diem ejus*, Joan. VIII. nonne *Multi reges et prophetae voluerunt videre, et non viderunt*? Luc. X. Quantum laborabant languidi, et afflicti, ut ad Christum medicum pervenire, eumque vel tangere solum possent? Nonne aliquando paralyticus per tegulas, effracto tecto, cum aliter non posset, demissus est in domum ad Christum? Luc. V. Idecirco omnes illi sanati sunt, quia magno desiderio ad Christum venerunt. Respicite volatilia cæli, quam hiant ore pulli in nido constituti expectant a matre cibum? utinam nos tantundem sentiremus inopiam nostram? Quanto appetitu ad communionem festinaremus? Quanto fructu recederemus?

V. Mensa ad excipiendos panes XII. propositionis, Exod. XXV. significat primo eleemosynam, quam præcipue his diebus liberalius erogare convenit, ut Christum in servis suis nobis conciliemus. Quales enim nos erga Christi membra exhibuerimus, talem ipse se in adventu hoc exhibebit nobis. Augustinum audi hac die concionantem: « Quod solebat, inquit, vanitas per gulam perdere, incipiat justitia per misericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula dissipavit in mundo, pietas reponat in cælo, et licet hoc expediat, ut semper eleemosynas facere debeamus, præcipue tamen in sanctis solemnitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus, pauperes ante omnia frequentius ad convivium revocemus. Non

enim est justum, ut in sancta solemnitate, in populo Christiano ad unum Dominum pertinente alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos et omnis populus unius Domini servi sumus, uno pretio redempti sumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili etiam exitu migraturi sumus, et si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non captat cibum, qui tecum accepturus est regnum? Quare pauper non recipiat veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium invitatus est Angelorum? » Hæc Augustin. Sit ergo cor nostrum ejusmodi mensa exposita pauperibus, et panes illis proponens, saltem hoc adventus tempore, sit aperta quædam penus omnibus indigentibus: *Alioquin quomodo charitas Dei manet in illo?*

Secundo. Præparationem ad S. communionem. Erat enim pretiosa illa mensa de lignis Setim (quæ imputribilia erant, soliditate et pulchritudine aliis lignis superiora) auro obductis, quia panes sanctos sustinere debebat. Ita cor nostrum de lignis Setim, id est firmissimo constare proposito debet emendandi vitam. Ad hæc aureis virtutibus tegi et adornari, fide, charitate, humilitate, reverentia, etc. Et tunc demum poterit in eo collocari panis ille vitæ, qui de cælo descendit.

Hæc sunt, auditores, quæ observanda nobis videntur, si venturum ad nos Christum excipere, velimus. Præstaret alioquin eum non excipere, quam sine honore excipere; quod testatur Isaias c. IX. cum de Christi Nativitate prophetans ait: *Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiā*; quasi dicat: Tu quidem splendore nativitatis tuæ multos illuminasti, sed quia lucem illam multi a se excludunt vel non æquis oculis aspiciunt, parum inde lætaberis. Simili plane modo si in feriis natalitiis multi quidem accedant ad s. communionem, pauci tamen debite parati; magna gens, non magna lætitia. Ergo ut genti magnæ magnum addamus lætitiā, magna sit præparatio, etc.

CONCIO II.

JUDICII PARTICULARIS PROCESSUS.

I. Apparatus ad judicium. — II. Examen. — III. Sententia.

THEMA.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
Matth. XI.

Misit in hodierno Evangelio Joannes discipu-

los suos ad Christum, quærens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* et respondit Christus non verbis, sed operibus: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis*, atque ita sat superque demonstravit se illum esse, qui venturus erat in mundum. Erit autem aliquando tempus, cum Christus ad unumquemque nostrum ejusmodi legationem instituet, angelos suos mittet in articulo mortis, ut ex nobis quærant: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Paratum est in cælo magnificentum palatium, mansiones ibi plurimæ! Tu ne es, qui illuc venturus es, annon? Et væ nobis, nisi tunc operibus respondere et dicere potuerimus: *Euntes renuntiate Christo, quæ audistis et vidistis*. Audiunt enim et vident opera nostra, non angeli tantum, sed etiam dæmones, et utriusque de nobis testimonium ferent, in particulari cujusque judicio. Et siquidem id bonum erit, comitabuntur nos Angeli boni in cælum; sin vero malum, mali in infernum. Ita enim Matth. XIII. comparavit Dominus angelos illos piscatoribus, qui secus littus sedentes et sagenam de mari extrahentes, eligunt bonos pisces in vasa, malos autem foras mittunt; extrahitur anima de mari, cum migrat de hoc sæculo, quæ ubi emigravit et in littus tracta, mox examinatur a piscatoribus angelis, littus observantibus, ut bonos ad cælum evehant, malos vero in caminum ignis mittant. Nec sufficere tunc respondere verbis ac dicere: Renuntiate Christo, me Christianum esse, catholicum esse, sacerdotem, monachum aut monialem esse; opera requiruntur, num fueris oculus cæco, pes claudus; num paveris esurientes, vestieris nudos, etc. Ita enim Prov. ult. dicitur: *Dale ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis opera ejus*. In portis apud Judæos judicia exercebantur, ut patet Deut. XII. et XXII. in porta mortis judicium exercetur animæ; et sicut portitores urbium ingredientes examinant antequam admittant, ita et in porta mortis volentem ingredi cælum, examinabunt angeli, et dabunt ei de fructu manuum suarum; qualia invenerint in eo opera, talem dabunt ei mercedem. Quoniam igitur ante octiduum deduximus animam per multas tribulationes usque ad portam mortis, deducemus eam nunc usque ad portam judicii, et videbimus judicii hujus processum.

I. Fiet apparatus ad judicium, et quantum nobis conjicere licet, fere similis illi, qui fit, cum reus mortis supplicio afficiendus producit ad publicum judicium. Primo aderit iudex Christus, qui propterea in multis parabolis prædixit se reversurum ut ponat rationes cum servis: aderit inquam, et apparebit, saltem per iudicia certa et vicarium angelum, vultu serio

et æquissimo, nulla exhibens iudicia alicujus gratiæ aut amicitiae, non arridens, aut blandiens, cujus aspectus ingentem animæ terrorem incutiet; non enim est, quod speres remissurum eum tibi vel levissimam unam culpam, nec est quod speres habiturum respectum generis, nobilitatis, notitiæ, doctoratus, pontificatus, sceptri, diadematis: quia talis erit et apparebit, qualem Pharisæi dixerunt Matth. XXII. *Magister scimus, quia verax es, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum*. Imo potius, *Horrende apparebit his qui præsumunt*, ut dicitur Sap. VI. Nec est quod speres, eum flectendum lacrymis, precibus vel sponsonibus, quia jam non ut pater, sed ut iudex apparebit. Nec est quod speres, ejus judicium declinari, et ad aliud provocari posse, quia potentissimus: nec quod speres, fore ut aliqua lateant, quia sapientissimus et occultissimus est. Aderunt deinde sancti aliqui, quorum intererit, sive ut accusent et condemnent offensi, sive ut patrocinentur a te culti, quemadmodum ex multis historiis patet: et hi omnes item cum Christo judicabunt, ejusque judicium approbabunt. Aderit etiam Angelus custos et dæmon, latera tua stipaturi; ille ob munus tutoris et advocati, hic ob munus tentatoris et accusatoris, juxta locum quem eis tribuisti in vita. Si enim in peccatis vixeris et obieris, habebis dæmonem a dextris et potiori loco, quemadmodum, Ps. CVIII. dicitur: *Diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus*. Custos angelus manebit ad sinistram, tamquam a te rejectus. Contra eveniet, si bene vixeris et obieris. Unde hic mature considera, quem utriusque locum assignes; nec enim postea licebit tibi dæmonem spoliare loco suo, si dextrum obtinuerit. Ad hæc producet uterque illorum librum suum; ille bonorum, hic vero malorum operum, quæ unquam admisisti. O quantum exultabit et tibi insultabit dæmon, si viderit te minus habentem, et librum suum grandiore opertum peccatis tuis? Quantum tristabitur angelus custos? Aderit denique anima judicanda, spoliata omni præsidio, solis operibus suis vestita, quæ eam vel ornabunt si bona, vel turpiter deonestabunt, si mala fuerint. Tametsi enim morienti plurimi assistunt, nemo tamen erit, qui animam ejus comitabitur ad judicium. Ibi stabit misera velut bos ad macellum alligatus, velut reus a lictoribus tentus et carnificem expectans; et quid interim cogitabit, si male sibi conscia sit? Videbit supra iudicem severum, infra patulum infernum et os suum aperientem absque ullo termino, juxta dæmones insultantes, a longe custodem angelum lamentantem, et sanctos inflexibiles, coram se vitam male

actam, retro occasionem omnem et spem præcisam, a dextris codicem peccatorum, a sinistris exiguum honorum operum libellum eumque repudiatum, quod opera solum mortua complectatur. Quid ager miserrima creatura in tam hostili agmine? Quam vere hic dicere Deo poterit, quod Sauli dicebat David: *Quem persequeris rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris et pulicem unum*, I. Reg. XXIV. Et quod Job dixit c. XIII. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris*. Quorsum Domine, quorsum tantus apparatus et consessus? Quorsum tot molossi contra lepuseulum unum? Nimirum ibi apparebit, quantum malum sit peccatum, quod tam tristem apparatus causavit: sicut fur tunc primum incipit cognoscere gravitatem furti sui, cum videt se in iudicio judicari, militibus stipari, accusatore, iudice, carnifice, spectatorum turba circumdari. Nihil nunc reputatur peccatum, *Quasi per risum stultus operatur*, ut ait Sapiens Prov. X. quia non videt se statim puniri. Liberrime peccant homines, quasi Deum ligneum aut plumbeum, cæcum et surdum haberemus. O quam attoniti tunc ante illum stabunt! Quam ad majestatem ejus obstupescunt et mutescunt! Agunt hic cum Deo improbi sicut cornices cum aquila, quam agminatim obruentes lacesunt, garritu suo infestant, rostris suis deplumant, et patitur quidem hoc aquila, atque immota sedet; sed tandem opportune ulciscitur, et oblata postea occasione obvias perimit, quemadmodum se vidisse scribit Albertus Magn. animal. I. 8. c. I. Ita maligni homines, ostendunt in Deum potentiam suam peccando quantum possunt, adhibent omnes vires, ingenium et astum. *Acuunt linguas suas sicut serpentis*. Ps. CXXXIX. *Potentes sunt iniquitate*. Ps. LI. Itaque Deum lacesunt blasphemis et provocant gravissimis sceleribus, deplumant quoque in membris suis, quæ spoliunt fama, bonis, gratia, virtutibus, et patitur omnia Deus, quasi insensibilis foret. Sed venit tempus, cum ipse potentiam et majestatem suam ostendet in obvias sibi impiorum animas, Ita enim Isaias dicit c. XLII. *Domine sicut fortis egredietur: sicut vir preliator suscitabit zelum, vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul*.

II. Proceditur ad examen et inquisitionem, ubi videbitur anima sibi audire illud: *Redde rationem villicationis tuæ*. Erit autem hoc examen universale de omnibus actibus, juxta illud Job: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*. Erit exactissimum et severissimum, juxta id Ps. *Ego justitias judicabo*, id est quæ viden-

tur hominibus justissima et mensuræ justitiæ. Et Domino teste Matth. XII. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Erit etiam acerrimum quia iudex tamquam omnis peccati acerrimus hostis, acerrime peccata æstimabit et ponderabit, juxta id Prov. XVI. *Spirituum ponderator est Dominus*, id est cogitationum. Ibi exiget a te dona naturalia corporis, qualiter sanitatem, vires, formam, ætates, et omne tempus insumpseris; animæ, qualiter ingenio, scientiis, cæterisque dotibus usus sis; bona fortunæ, qualiter usus divitiis, generis splendore, honoribus, dignitatibus, deliciis; bona spiritualia, quid utilitatis ceperis ex sacramentis, sacrificiis, sacris libris, concionibus, bonis exemplis, piis inspirationibus. Denique quæcumque ad officii et status tui rationem spectabant. Redde horum omnium rationem. Et tunc verum esse intelliges quod Job c. IX. dixit: *Non poterit respondere ei unum pro mille*. Vere ibi poteris dicere cum villico dissipatore: *Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubescio, nec licebit addere: Scio quid faciam, faciam mihi amicos, etc.* Transiit enim tempus fodendi, conscientiam videlicet tuam per confessionem et opera pœnitentiæ; nec tempus est mendicandi veniam scilicet peccatorum, quæ audies, quod fatuæ virgines audierunt *Nescio vos*, et præterea confunderis ab eo petere veniam, quem ut hostem persecutus es. Nec licebit per elemosynas facere amicos, qui te recipiant in æterna tabernacula; Deo enim tibi infenso, neminem sanctorum habere poteris amicum; taceo quod ibi nec pauperes, nec opes erunt. Illuc igitur aliquando perventurus, fode hic conscientiam tuam per confessionem et contritionem, per jejunium ac corporis castigationem; mendica hic per orationem, fac tibi amicos per elemosynam. Sed quid jam de accusatoribus dicemus, quorum vel solus aspectus exanimare aliquem deberet? Sane non frustra appellatur dæmon, *Diabolus*, id est, criminator; *Et Satanas*, id est, adversarius; et Apoc. XII. *Accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*. Ille enim ipse qui tibi auctor et suasor ad peccandum fuit, erit etiam accusator et tortor. An nescimus, quid fecerit Judæ meretrix illa Thamar? Gen. XXXVIII. *Pellexit Judam cultu meretricio vultuque cooperto ad fornicationem; et arrhabonem ab eo petiit annulum, armillam et baculum*. Postmodum produxit ea in confessionem et accusationem ipsiusmet Judæ dicens: *De viro cujus hæc sunt concepti; cognosce cujus sit annulus et armilla et baculus*. Unde confusus Judas dixit *Iustior me est*. En diaboli typum; allicit is ut for-

niceris a Deo et ipsius voluntati consentias; sed ubi assenseris, postmodum te acerbissime accusabit, et producet peccatorum tuorum chirographa, annulos quibus iniquas litteras obsignasti, armillas quibus superbisti, baculos quibus proximum cæcidisti; notabit locum, tempus, numerum, et dicet: *Agnosce cujus sint ista, de te ista possideo, quia mecum fornicatus es, et per hoc te mihi obligasti; ego in via tantum sedebam uti Thamar, et ad stuprum non vocabam, sed tantum ornatu quodam pelliciebam, et tu ultro in amplexus meos ruebas; ego suadebam et prolecebam tantum, et statim mihi obsequeris: Deus contra præcipiebat tibi ne mihi obsequeris, et nihil eum curabas; ego suadebam uti jurares, et tu pejerabas; ut inimicos odisses, et tu amicos etiam odisti; ut te inebriares, et tu post hæc etiam fornicatus es jurgia seminasti. Ad hæc ego de cælo in orcum ob unicum peccatum detrusus sum, tu innumera et graviora commisisti: pro nobis Deus nihil passus est, nunquam nos redemit; te redemit et innumeris beneficiis prævenit; adhuc tamen toties ab eo recessisti. Judicet Deus utrum non justior sim quam tu. Nec satis habebit vera delicta objicere, objiciet etiam ficta, quæque de te solum suspicatur; sic enim cum Michaele ausus est altercari de corpore Moysis, ut in epist. Judæ dicitur, eo quod is aliquando licet bono zelo Ægyptium interfecisset. Postmodum conversus ad Deum animam sibi divinctam petere incipit, ut similem in pœnam cum ipso condemnatur, idque totum ex odio et invidia, qua plenus est erga homines. Et qualis tunc inter dæmones exultatio et congratulatio! Tunc implebitur id Threnor. II. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt et fremuerunt dentibus et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus; invenimus, vidimus*. Quemadmodum enim sancti in cælo sibi congratulantur de justo et ovicula inventa; ita congratulabuntur sibi dæmones de unius perditione, quia quantum illi amore, tantum isti odio flagrant et invidia. Quare si te ab hoc accusatore liberare volueris, redime hic chirographa peccatorum tuorum, annulum, armillam, baculum, quibus deliquisti: hoc enim si Judas fecisset, adeo turpiter confusus non fuisset; redime, inquam, culpas per pœnitentiam, esto hic accusator tui, sicut Prov. XVIII. dicitur: *Justus prior est accusator sui*. Redime deinde pœnas, jejniis, orationibus, elemosynis. Claudet hoc examen testis propria conscientia, quæ omnia manifestabit et verissima esse testabitur. Sic Basilius de vera virgin. ait: *Sæpe pretiosissima ornati veste, cum forte intrinsecus quoque formosi ac venusti ex illo**

exteriori cultu putarentur, exuti tunica, nude in balneo conspecti, contra quam putabatur, ridiculi ac innumeris malis fere insigniti corporis continuo apparuerunt; ita et nos cum velamen carnis exuerimus, etc. Exempli causa, inquit ibidem: *« Quomodo ad patrandum quisque adulterium properans e lecto surrexit, quibus passibus incidens usus est, quo motu corporis lentiore ac concitatore, quem habitum, dum progredere, assumpsit, et qua ex parte irrumpens uxorem alienam violavit, etc. Hæc inquam omnia veluti in tabula per partes diligenter expressa cernuntur. »* Hæc Basilius. O quam confundetur et stupebit anima tot simul culpas in se ipsa cernens, quas adeo studiose semper occultare conata est! Quo dolore seipsam ibi accusabit et condemnabit invita, quæ id hic facere coram uno confessario noluit! Bono zelo occiderat Moyses Ægyptium quemdam et sabulo absconderat; quod tamen illi postea cum alius exprobraret, timuit et obstupuit, quomodo id palam factum esset, fugaque sibi consuluit. Exod. II. *Quid faciet anima, cum ei omnia ejus scelera simul representabuntur? Quanta rabie agatur, quod non melius et salubrius absconderit ea per pœnitentiam? Quod instar Uriæ illius in proprio sinu contra seipsam litteras exitiales ad Deum judicem tulerit, malam scilicet conscientiam? Quis dubitat Uriam, discerpturum fuisse eas litteras, si quales essent, scivisset? Et cur tu non item eas modo laceras, et maculas peccatorum et sententiam mortis contra te conceptam deles?*

III. Proferetur a iudice sententia immediate: quemadmodum enim fulmina ingenti et rapido cum tonitru statim sequi post fulgura solent, magno omnium terrore et certo indicio noxii fulminis; ita ubi rei iniquitas per conscientiam manifestationem, quasi per coruscationem, apparuerit, statim horribili impetu sequetur fulmen æternæ damnationis. Non frustra nos adeo horrescimus fulmina, nam eorum vim et sævitiam sæpe experimur. In vita S. Galli I. 2. c. XXVI. quidam legitur ex fulminis ictu cæcus, mutus, et surdus esse factus. Sed nulla est fulminis hujus cum illo comparatio: secabit illud animam, eamque cæcam reddet, quia in æternam visionem Dei privabit, reddet mutam quia omnem adimet ei loquelam ad excusandum, deprecandum, inducias petendas; reddet surdam, quia pondere et magnitudine rerum, de quibus agatur, obruet et obtundet intellectum, et animam quodammodo extra se ponet atque obstupesciet; non enim de pecuniis aut agris, sed de summa rerum omnium ager et tonabit: *Auferatur impius, ne videat gloriam Domini*. Isa. XXVI. juxta Septuag. interp.

Quando filiis Israel lex promulgabatur cum voce tonitruorum, fulgore lampadum et sonitu buccinæ in monte Sinai, perterriti ipsi voce angeli legem promulgantis, steterunt procul et dixerunt: *Loquera tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*; Ex. XX. Si legem Dei nobis promulgatam horrescimus audire, quomodo audiemus verbum illud asperum? Unde Job XXVI. dicitur: *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Idcirco David timens verbum illud asperum, libenter audiit Dei præceptum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* inquit.

Sententia promulgata, mox deseret angelus custos, et ss. tutelares animam proscriptam, et dicent illud Jerem. c. LI. *Curavimus Babylo-nem, et non est sanata; derelinquamus eam.* Et Deus eodem momento destituet eam protectione sua, omnique humore cujusque gratiæ privabit, ita ut in æternum nihil boni ab ea sperari amplius possit. Quemadmodum enim uno maledictionis verbo arefecit ficum et omni humore privavit, ut nullum amplius fructum faceret; ita faciet animam reprobi: deinde tradet eam potestati dæmonum, qui instar leonum, tigridum, et ursorum, prius adhuc ligati et inhiantes prædæ, postea soluti ingenti fremitu et rabie invadent eam veluti lepusculum, ut vere tunc dicere queat id Ps. XXI. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Miserum quidem et triste est spectaculum, cum reus condemnatus traditur carnifici: sed solet etiam carnifex reo condolere, quem debet interficere, aut saltem non facit insultando et gestiendo, quicquid facit reo. Longe aliter constituti sunt dæmones, qui ut animam unam devorent, sicut vultures ad locum prælii, diu ante prælium congregantur, quia ut vultures ingluvie ita dæmones odio in hominum cædem feruntur. Ibi apparebit illud: *Ubi est corpus, illic congregantur et aquilæ;* sic in Apoc. XIX. convocantur omnes aves ad manducandas carnes damnatorum. Destituta hoc mundo et maledicta anima, sicut de ficu maledicta mox cadent omnis viror et folia, id est, dona supernaturalia, et virtutes morales, remanebitque anima nuda, fere ad eum modum, quo sacerdos facinorosus igni tradendus, prius ab episcopo degradatur, et spoliatur sacerdotalibus ornamentis, ne dignitati sacerdotali per infame supplicium injuria aliqua irrogetur; deinde raditur extremis digitis et capitis corona, postmodum repellitur ab episcopo et clericis, veluti indignus clero, et licitoribus rapiendus relinquitur. Ita fiet anima peccatrici, ei ab episcopo animarum nostrarum Christo, I. Pet. II, qui nos in baptismo unxit et aliquo modo sacerdotes fecit, auferetur in primis illi corona

capitis, id est lumen fidei, spes coronæ gloriæ; secundo radetur digitis, et auferentur ei gratiæ gratis datæ (si quas habet) quibus velut Spiritus Sancti digitis mira patrabat, sanitates conferebat, spiritus discernebat, et dæmones eiciebat, etc. solus vero character ei relinquetur Baptismi, Confirmationis et sacerdotii (si his sacramentis initiata fuit) ad majorem ejus dolorem et confusionem, ut quæ tot gratiæ auxiliis præventa, *Cœpit edificare et noluit consummare.* Luc. XIV. Denique spoliabitur vestibus virtutum moralium, quas habuit, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, justitiæ, castitatis, etc.: scientiæ tantum ei remanebunt ad majorem ejus dolorem; et ita complebitur id Job XX. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: divitias quas devoravit, evomet; et de ventre illius extrahet eas Deus.* Forte ad eum modum, quo Udoni Magdenburgensi decantissimo episcopo impio legimus, ante ejus interemptionem, pugno excussam de visceribus sacram hostiam, quam eo die indignissimus sumpserat, apud Naucel. vol. II. Gen. XXXVII. Fulgos. Antonin. etc. O quale hoc spectaculum! Seneca, libro de brevitate vitæ, c. ult. scribit, Caium Cæsarem absolvisse aliquando senatorem nonagenarium ab officio et munere publico, quo sibi deinceps in tranquillitate viveret: quare ille adeo contristatus est, ut mortuum se putaret, componi se in lecto, et velut exanimem a circumstante familia plangi jusserit. Cogita nunc: quid erit spoliari bonis omnibus? Denique detrudetur a theatro seu loco judicii et a dæmonibus ad orcum rapietur; pensate, auditores, quam afflictum erit hoc iter, quam tristis terminus! Quid enim cogitabit anima de extremo consolationis et felicitatis mundanæ ad extremum miseriæ præcipitata? De molli et bysino lecto in operimentum vermis et ignis? De societate amicorum optimorum, ad societatem draconum, serpentum et bufonum? De hoc amœno et dulci solis lumine, ad obscurissimum et teterrimum orci carcerem? Ah! Quid sentiet et cogitabit, et cum primo aspectu domum illam funestam, societatem miseram, cruciatus innumeros, æternitatem interminabilem aspiciet et perpendet?

CONCIO III.

JUDICII UNIVERSALIS ET ULTIMI CONVENTUS.

I. Comparebit iudex: 1º cum signo crucis. 2º. In corpore glorioso. 3º. Stipatus angelis. 4º. Cinctus nubibus. 5º. Sedebit. — II. Separabunt angeli iudicandos. Hinc in hominibus: 1º. Stupor. 2º. Livor. 3º. Pudor. 4º. Dolor. 5º. Timor. — III. Congregabuntur iudicandi ad iudicem: 1º. Omnes. 2º. Impii nullo ordine. 3º. Adorabunt iudicem. 4º. Monstrabunt acta sua. 5º. Singuli suo loco.

THEMA.

Tu es qui venturus es? Matth. XI.

Quæstionem hanc, auditores, quam e vinculis suis Joannes proposuit Christo, utinam et nos e vinculis carnis nostræ proponeremus Christo venturo iudici nostro: *Tu es, qui venturus es?* Nam teste S. Ambrosio in offic. « Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum vicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. » Quæ enim alia causa est, cur tot homines honestatis et virtutum obliiti, tot gravia scelera perpetrent, nisi quia non credunt futurum iudicem suum omnino nolare suo tempore iudicanda, virtutem amare, vitia odisse et abominari? Si enim ista crederent, quomodo coram iudice suo delinquere auderent? Quando igitur fides docet Christum iudicem certissimo venturum, pergamus nunc, quod ante oculos cœpimus, prosequi et spectare in præsens iudicis adventum, eorumque, qui iudicandi sunt, conventum.

I. Congregatis omnibus in vallem Josaphat (ita videlicet ut vallis illa mediterraneum sit loci iudicarii, cæteroque ad plura milliaria se diffundentis) incipiet in sublimi comparere iudex sensim descendens cum summa potentia et gloria juxta id Matth. XXIV. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et majestate.* Idem insinuavit Dominus cum staret coram concilio Judæorum et Caipha, Matth. XXVI. cum dixit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cæli.*

Primo. Veniet ergo præmisso et in cælis apparente signo crucis, Matth. XXIV. *Tunc parebit signum Filii hominis in cælo* per quod omnes fere Patres et DD. signum crucis intelligunt. Significabit autem hoc signum primo iudicem per crucem comparasse sibi hanc gloriam et iudiciariam potestatem, adeoque iudicare non alienos, sed suos subditos, quos per crucem sibi emit et de morte redemit: secundo ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse, ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc in primis, turbabuntur Judæi et Gentiles, qui Christo et sectatoribus ejus crucem improperarunt, eosque persecuti sunt; deinde reprobi Christiani, qui sub eo salutis signo militarunt, sua tamen nihilominus culpa perierunt, imo Christum suis peccatis suaque ingratitude in crucem adegerunt, verbi gratia: videbit Judas se sua prodicione Christum egisse in crucem; videbit quisvis impius, quot clavis et puncturis Christum in crucem fixerit; videbit quisque dementiam et ingratitude suam, qua tam immensum Christi amorem et

laborem pro se exantlatum contempsit et contulcavit: tertio omnes crucifixi cultores et amatores jam esse exaltandos et ad hoc laborem congregandos, omnes ejus hostes et osores ab eodem deprimendos ac prosternendos. Atque ita fiet, quod Dominus statim subdidit: *Et tunc plangent omnes tribus terræ.*

Secundo. Apparebit in corpore glorioso, supra solis fulgorem splendido; unde Isai. XXIV. dicitur: *Erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum.* Erubescunt autem sive ob stuporem tantæ majestatis, sive quod ipsorum lumen ob splendorem Christi quodammodo obscurabitur, sicut stellæ coram sole, adeoque suam pulchritudinem quasi exillem abscondent coram tanta majestate; de qua ipse Dominus Matth. XXIV. *Videbunt Filium hominis venientem cum virtute* (græce cum potestate) *multa et majestate.* Si enim justi in regno Dei fulgebunt sicut sol, Matth. XIII. multo magis ipse Dominus justorum, qui quoniam in passione sua obscuratus fuit, (quod significabat eclipsis solis) debet eo tempore recipere et ostendere mundo lumen gloriæ suæ: imo ad litteram sol vocatur in secundo adventu Malach. IV. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Non dicitur oriturus impiis, quia confusionem et mœrorem eis afferet et ipsorum scelera detegit; unde ipsi velut noctuæ et vespertiones ægre illum aspicient: quemadmodum enim sol Aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat, ait S. Aug. I. 2. de morib. Manich. c. VIII. ita Christus in iudicio justorum mentes vegetabit et exhilarabit, impiorum oculos animosque sauciabit. Ibi ergo improbi præ impatientia tanti luminis abscondent et dejicient in terram capita sua, dicentque montibus: *Cadite super nos. et collibus operite nos;* justis contra mire gaudebunt ad conspectum hujus solis, quia patefaciet ipsorum justitiam et virtutes prius mundo incognitas.

Tertio. Veniet cum comitatu omnium angelorum, ut habetur Matth. XXV. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli ejus cum eo.* Admodum vero probabile est, venturos angelos in corporibus splendidis, ex aere sibi formati, ut videri ab impiis Christi majestas possit. Erit ergo totum hemisphærium usque ad supremas aeris regiones undique plenum angelis, et speciem referet immensi exercitus; quibus inferne adhærebunt electi juxta prophetiam Henoch in epist. Judæ: *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis,* qui similes angelis apparebunt: quemadmodum fatentur impii Sap. V. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est! Et tunc stabunt isti, ut ibidem legimus, in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt:*